



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. I. Quid sit peccatum mortale & veniale?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

Dixi, *complementa* : quia si similes actus non sunt initia vel partes copulæ subsecuturæ, aut ex actu præterito ex natura rei non consequantur, distinguuntur numero; ut v. g. si quis de fornicatione gloriatur: proindeq; illi in confessione explicandi sunt separatim, non autem priores, ut docet *Suar. tom. 4. de pœn. d. 22. s. 1.*

CAPUT II.

De Peccatis in specie, mortali & veniali.

DUBIUM I.

Quid sit peccatum mortale, & veniale?

Resp. I. Mortale est, quod ob sui gravitatem, gratiam & amicitiam cum Deo solvit, pœnamq; æternam meretur. Dicitur, *mortale*: quia spiritualis vitæ principium, gratiam scilicet habitalem tollit, & mortem animæ affert.

Veniale est, quod ob suam levitatem gratiam & amicitiam non tollit, etsi fervorem charitatis minuat, & temporalem pœnam meretur. Dicitur, *veniale*: quia salvo vitæ spiritualis principio, scilicet gratia, languorem animæ facile curabilem infert, veniamq; facile consequitur.

Resp. II. Mortale peccatum duplex est: aliud est mortale ex genere suo, aliud ex accidente. Mortale ex genere suo est, quod per se lædit charitatem Dei,

Dei, vel proximi, quoad personam, res aut iura
nos ipsos corrumpit graviter. Ita *Azor. l. 4. cap. 1.*
Sanch. 1. mor. cap. 3. Unde resolves.

I. Peccata contra bonum proprium committuntur
ut plurimum sunt venialia ex genere, ut v. g. in-
temeritas, & vana concupiscentia, vana oblectatio, pro-
digalitas, curiositas, superfluitas, cultus & vestitus
inutilis, otium, excessus in cibo, potu, somno, risu,
usu conjugii, timore, tristitia, appetitu pecuniarum
inordinato, &c.

II. Peccata contra virtutes Theologicas, sunt
mortalia ex genere suo; quia nocent bono alio
interno Dei, v. g. veritati, misericordiae, claritati.
Item ferè omnia, quæ fiunt contra Deum, sunt
mortalia; quia quæ committuntur contra tria prima
præcepta, nocent similiter Deitati, scientiæ,
omnipotentiae divinæ, ejusque honori exteriori
vel interno; quæ verò contra reliqua præcepta
committuntur, nocent personæ, bono aut juri proximi.

II. Peccata illa septem, quæ dicuntur capitalia
non omnia sunt mortalia ex genere suo, quia non
omnia graviter Deum, aut proximum lædunt, nec
nos ipsos corrumpunt.

Resp. III. Mortale ex accidente dicitur, cum
actus aliquis venialis, aut indifferens fit per
accidens mortalis, de quo
infra.